

et inferioris Sclavoniae Jurisdictioni Banali subjiciendi venirent, quemadmodum et Clementissima resolutione Regia jam subjecti haberentur, atque Politica Jurisdictio, ab excisione Confiniorum remansura authoritati Bani subesse, et tempore ac occasione aperti Belli, antiquis et modernis Patriae constitutionibus et consuetudinibus, sic exigentibus, sub comando ejusdem bellare deberet, ut conjunctis viribus, atque sub uno Capite et Gubernio, tanto felicius et validius servitium Suae Regiae Majestatis promoveri valeat, censebat Deputatio, Confinia ibidem excindenda per Banum et Regnum in conformitate praecitatarum Legum gubernanda.

III. De Juridicis.

Justitiae in illis porro etiam partibus debito ordine administrandae, judiciorumque Legaliter et accurate instituendorum causa requirente, censet deputatio, Tabula Banalis intuitu etiam reincorporandae inferioris Sclavoniae et Sirmij tam judicatum primae instantiae in causis de lege sibi competentibus, quam et forum superrevisorium in processibus per viam appellationis eo deducendis agat et exerceat; Tabula quoque Judiciaria Regni in Judiciis aequae sibi competentibus quoad prelibatam Sclavoniam et Sirmium etiam procedat, ita tamen, cum diurna respective salaria prelibatarum tabularum quoad actualem duntaxat Regni jurisdictionis statum tenuiter salariata essent, hoc facto vero earundem tabularum, ita et Domini Magistri Prothonotarii tum occasione decursus Tabulae Banalis, cum etiam celebrationis Generalium Regni Congregationum, cum interventu etiam reincorporandorum Districtuum celebrandarum, labores et fatigia accumularentur, ut dicti reincorporandi districtus in Diurnorum et Salariorum praelibatis Tabulis et Domino Prothonotario in tabularis ac prothonotarialis aliunde valde exigui salarii auctionem altero saltem tanto concurrant. Sedrias porro in dicta Sclavonia domini supremi Comites cum Vice-Comitibus et universitate conformitate legali celebrent, et causas ex partibus eo deducendas revideant, indeque ultro provocari volentibus ad Tabulam Banalem appellatam admittant; Vice-Comites item et Judices Nobilium in partibus modalitate a lege praescripta processuri, processus judicatu suo competentes dijudicent; civilia denique et dominalia judicia conformitate legum suum cursum reheant.

IV. De Politicis.

Ut autem in politicis quoque requisitus ordo observetur, necessarium pariter judicat Deputatio, ut Domini Supremi Comites ad exigentiam et praescriptum Legum patriarum cum universitate sedis restauratorias celebrent, et Vice-Comites Subalternosque officiales, erga consuetam Candidationem Dominorum Supremorum Comitum, universitates Comitatum eligant et constituent, aliaque Spheram politicam concernentia, habita praesertim ad articulum 8. novissimae Diaetae reflexione, pertractent; conservatione dein ulteriori eorundem reincorporandorum districtuum sic exposcente, Domini Praelati, Magnates et Comitatus, ac Civitates, ad publicas Regni Congregationes per invitatorias vocandi, Domini quidem Praelati et Magnates in persona, vel per nuntios, Comitatus vero et Civitates per Deputatos comparere, eademque occasione de rebus et negotiis publicis ibidem pertractatis antelati Comitatus et Civitates medio Deputatorum et Nuntiorum suo-